



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XVI. Markgraf Johann entscheidet die Streitigkeiten, welche zu Brandenburg zwischen Juden und Fleischern stattfanden, am 25. Juli 1315.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

XVI. Markgraf Johann entscheidet die Streitigkeiten, welche zu Brandenburg zwischen Juden und Fleischern stattfanden, am 25. Juli 1315.

In rei memoriam sempiternam. Non improvide sapientum industria humano providit usui, ut quod per lapsum temporis continuum ab hominum memoria evanesceret, saltem per scripture adminiculum perennem memoriam fortiatur, cum secundum varietatem temporum actiones et statuta hominum soleant variari. Hinc est, quod nos Johannes, Dei Gratia Brandenb. et Lusatie Marchio, cupientes nostrorum subditorum utilitatibus providere et intendere commodis eorundem et litibus viam precludere, que in civitate nostra Brandenburg, a qua nostri tituli insignia contraximus, possent exurgere in futurum, inter carnifices dicte nostre civitatis et Judeos ibidem taliter, ut inferius continetur, duximus statuendum, prout inter ipsos ab antiquo est servatum. Inprimis ergo statuimus, quod nullus Judeus advena, hospes vel alienus mactare ibidem presumat, nisi prius ibidem civis effectus fuerit et receptus Burgenfis. Post statuimus, quod nullus Judeorum tempore estivali, dum carnes sale condiri non possunt, debet plus mactare, quam sibi et sue familie, et ad suam coquinam necesse fuerit et consumere poterit. Quodcumque autem ex his, que mactaverit, sibi non congruerit, puta quod ad Judeos non pertinet, nec ipsos comedere juxta ipsorum ritum decet, id potest vendere per quartalia, non frusticulatim. Tempore vero autumnali et hyemali, quando carnes condiri possunt et servando servari, nihilominus ad vendendum nihil audeat mactare nisi pro se et sua familia, quantum comedere decreverit, et super hoc penitus nihil mactet, et quidquid tunc sibi non congruerit, aut ad eum spectaverit, id non frusticulatim nec per quartalia, sed solummodo vendere potest integraliter totum ventrem. Statuimus preterea, quod nemo Judeorum predictorum debet mactare hircos, capras aut tauros, qui Varren teutonice appellantur, vel viles vitulos vel quicquam aliud, quod ipsemet comedere non proponit. Dicimus preterea, quod si aliqui predictorum Judeorum in curia vel super curiam sartorum predicte civitatis nostre incidere seu emere apud carnifices ibidem voluerint, eisdem Judeis hiidem carnifices adeo in laudabili foro dare debent, quod apud eosdem emerint, sicut cuicumque etiam Christiano. Hec ergo premissa omnia et eorum quodlibet mandamus sub virtute nostri favoris et gratie ab omnibus tam presentibus Judeis quam futuris, cum dicte civitatis carnificibus inviolabiliter observari, volentes contra transgressorem insurgere cum furore. Et ne hujusmodi nostra ordinatio hactenus laudabiliter observata alicujus maligni calumnia subvertatur, vel in aliquo irritetur, presentem super eo literam confici et dari iussimus nostro sigillo pendenti vero et consveto firmiter communitam in perenni valitorum tempore seculorum. Testes, qui ad hoc rogati, sunt: Illustris domina Anna Ducissa Wartislavie, nostra genitrix karissima, Henricus Comes de Luchow nobilis, Buffo Gruvelbut et Sloteko, nostre dapifer curie. Christianus de Gerardistorf, Borchardus de Bertensleve, Henricus de Krakow, Pefcke de Loffow, Buffow de Mylaw, Henningus de Vorland, milites nostri, cum aliis pluribus fide dignis. Actum et Datum Everswolde in nostra presentia. Anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo, die beati Jacobi Apostoli, per manum Hermanni de Luchow, nostre curie Capellani.

Lenz Beem. enucl. 81. Urh.-Samml. 929—932.